

conarer, Fannius antevertit; quamobrem utrique nostrum gratum admodum feceris.

*Lael.* Ego vero non gravarer, si mihi ipse confiderem; nam et praeclara res est, et sumus, ut dixit Fannius, otiosi. Sed quis ego sum? aut quae in me est facultas? Doctorum est ista consuetudo, eaque Graecorum, ut iis ponatur, de quo disputent, quamvis subito. Magnum opus est, egetque exercitatione non parva. Quamobrem quae disputari de amicitia possunt, ab eis, censeo, petatis, qui ista profitentur. Ego vos hortari tantum possum, ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis: nihil est enim tam naturae aptum, tam conveniens ad res vel secundas, vel adversas. Sed hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse: neque id ad vivum reseco, ut illi, qui haec subtilius disserunt, fortasse vere, sed ad communem utilitatem parum. Negant enim, quemquam virum bonum esse, nisi sapientem. Sit ita sane; sed eam sapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo est consecutus: nos autem ea, quae sunt in usu, vitaque communi, non ea, quae finguntur, aut optantur, spectare debemus. Numquam ego dicam, C. Fabricium, Man. Curium, T. Coruncanium, quos sapientes nostri majores judicabant, ad istorum normam fuisse sapientes. Quare sibi habeant sapientiae nomen et invidiosum, et obscurum; concedantque, ut hi boni viri fuerint. Ne id quidem facient; negabunt, id, nisi sapienti, posse concedi: agamus igitur pingui Minerva, ut ajunt. Qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, aequalitas, liberalitas; nec sit in illis ulla cupiditas, vel libido, vel audacia, sintque magna constantia, ut ii fuerunt, quos modo nominavi: hos viros bonos, ut habiti sunt, sic etiam appellandos putemus; quia sequantur (quantum homines possunt) naturam, optimam bene vivendi ducem. Sic enim mihi perspicere videor, ita natos esse nos, ut inter omnes esset societas quaedam: major autem, ut quisque proxime